



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

II. Quæ peccata possint reseruari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

Quando secundam partem: *Quorum peccata referuntur*. Regula generalis est, eorum peccata posse referuari, qui subditi sunt referuari in hoc foro sacramentali, nisi aliqua specialis prohibitio Prælati superioris obstat. Dubium est de aliquibus personis in particulari. Et in primis dubitari potest de pueris an eorum peccata intelligantur referuata. Negant aliqui apud Dianam *primo tom. tract. 15. miscellan. resolutione 1.* ubi pro ea sententia affert Paludanum, Grassium, & Bellochium. Affert item ex illis rationem: quia sicut minor ætas in foro externo non excusat à pœna ordinaria; ita & in animæ iudicio. Hæc tamen ratio ad summum probat de reservatione, quæ statuitur, ut pœna; non de ea, quæ non est, ut pœna; sed ut medicina. Quare ratio illa non probat de casu ibi proposito; quando, scilicet, peccatum Sodomie est referuatum in aliquo Episcopo; nam referuatio illa non est pœna; sed est lex determinans casus, in quibus pro meliori remedio applicando debet recurri ad Prælatum pro absolutione: si autem esset pœna, non incurreretur ab ignorantibus reservationem, ut statim videbimus, & docet id Diana cum aliis *secundo tom. tract. 5. miscellan. resol. 12. & 13.* Certum autem est, illam reservationem afficere eam ignorantes, ut constat ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reservationis non tribuit facultatem absolvendi pœnitentem, qui reservationem ignoravit.

Loquendo ergo de reservatione, quæ non sit pœna, non video fundamentum illius exceptionis, ut peccatum mortale commissum à puero non sit referuatum: quod merito affirmant Homobonus de casibus referuatis, parte prima, c. 3. Lazarius tract. de blasphemis, questione 9. numero 42. & Floronus de casibus referuatis, parte prima, cap. 3. numero 3. Quando verò referuatio esset pœna, iudicandum erit de illa iuxta diversas sententias circa illam questionem, an, & quæ ætate pueri incurrant pœnas Ecclesiasticas à iure statutas: de qua videri potest Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 7. & 8. ubi alios refert, & Diana 2. tom. tractat. 6. miscellan. resol. 88.

Secundò dubitari potest de ignorantibus reservationem pœnalem, an illam incurrant: de quo late Thomas Sanchez lib. nono de matrimonio, disput. 32. à num. 15. ubi refert plures dicentes, ad incurrendam pœnam Ecclesiasticam non requiri scientiam prohibitionis iuris positivi. Alij dicunt eam scientiam requiri: quam sententiam ipse sequitur: & n. 18. dicit in terminis reservationem, quæ imponitur in pœnam delicti, quod prohibetur aliqua Bolla Pontificia, non incurrì ab ignorante inuincibiliter illam Ecclesiæ prohibitionem. Denique alij dicunt requiri non solum scientiam prohibitionis; sed etiã talis pœnæ impositionem: quare ignorans inuincibiliter reservationem peccati impositionem non illam incurreret: quam sententiam ipse Sanchez existimat probabilem, licet contrariam teneat ut probabiliorum. Cæterum, quia questio hæc generalis est ad omnes pœnas Ecclesiasticas, sufficit indicasse sententias probabiliores, quæ in hoc puncto sunt, ut unusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim applicare.

SECTIO II.

Quæ peccata possint referuari.

Primò dubitatur de peccatis venialibus, an possint referuari. Quæ quidem questio pendet

omniò ab illa alia, an iurisdicção ad absolvendum à veniali detur à solo Christo, an ab Ecclesiâ. Qui enim dicunt dari à solo Christo, consequenter debent dicere non posse referuari ea peccata, cum Ecclesiâ non possit auferre potestatem à Christo in ipsa ordinatione Sacerdoti datam: atque ita consequenter Pater Vasquez *questione 91. articulo tertio; dubia secundo.* Iuxta aliam verò sententiam, quam supra amplexi sumus, dicentem eam iurisdictionem dari ab Ecclesiâ, & non à solo Christo, Vasquez ibi dicit, adhuc non posse referuari ea peccata quia referuare, non solum est auferre iurisdictionem ad aliquod veniale solvendum, verbi gratia, mendacium; sed est referuare sibi iudicium, obligando pœnitentem ex institutione huius Sacramenti ad confitendum, & subiiciendum tale peccatum coram referuante. Sed hæc erit questio de nomine: nam referuatio à multis non sumitur in eo sensu rigoroso; sed solum prout significat reservationem potestatis apud se auferendo eam omnibus aliis. Sicut etiam Papa dicitur referuasse sibi concessionem indulgentiæ plenariæ, quando eam facultatem abstulit aliis Episcopis; nam licet non obliget fideles ad petendam illam indulgentiam; neque ea sit illis necessaria simpliciter ad expiandum debitum pœnæ, cum possint aliis remedijs iuari; dicitur tamen referuasse sibi eam concessionem, quatenus noluit alium, præter ipsum, posse eam indulgentiam concedere. Sic ergo posset referuare absolutionem à venialibus, si auferret aliis potestatem absolvendi. Quorum ad hoc tamen est questio de vocibus: de re autem dicendum est posse validè referuari à Summo Pontifice, revocando, quoad aliqua venialia facultatem, quam dedit: non tamen expedire, quia esset ferè inutilis omniò talis referuatio.

Secundò idem à fortiori dici potest de peccatis mortalibus, quæ iam iterum in confessione sunt clauibus legitime subiecta; posse quidem referuari eorum absolutionem validè, cum illam etiam potestatem dixerimus procedere ab Ecclesiâ; non tamen expedire, cum esset aequè inutilis talis referuatio.

Tertiò dubitatur de peccatis mortalibus merè internis, de quibus certum est, loquendo de possibili, posse referuari, ut cum aliis tradunt Suarez, & Vasquez *locis supra citatis*: quia non minus requiritur iurisdicção in Confessario ad hæc peccata absolvenda, quàm ad externa. Si ergo Superior neget hanc facultatem, non remanet iurisdicção in inferiori. Nec facit ad rem, quod Ecclesiâ non habeat facultatem ad præcipiendos, vel prohibendos actus merè internos; quia in præsentì potestas non est ad peccata, sed ad concessionem iurisdictionis in ordine ad absolutionem; quæ absolutio est actus externus. Sicut etiam Pontifex referuat sibi dispensationem voti meri interni circa aliquas materias.

Loquendo autem de facto licet apud Religiosos aliquando referuata fuerint peccata etiam interna: Pontifex tamen nunquam ea sibi referuat; neque etiam Episcopi communiter consueverunt ea referuare. Si aliquis autem Episcopus aliquod peccatum internum propter eius specialem gravitatem referuaret, v. g. hæresim internam, prout aliquis dicitur referuasse; valida erit referuatio. Sotus tamen *dicta distinctione 18. questione secunda, articulo 5.* reprehendit acriter talem reservationem: Et quidem raro expediet, maxime, si non solum Confessariis delegatis, sed etiam habentibus iurisdictionem ordinariam immediatam negetur potestas

N n 4 absoluen

absoluendi. Reservatio enim exigit, ad hoc, ut prudenter fiat, necessitatem coercendi; aut adhibendi remedium speciale: quæ ad peccata merè interna communiter non reperitur: quia, si peccator reuera non corrigitur, & emendatur, citò progredietur ad actum externum, ratione cuius reservari potest.

15.
Qualis actio
externa re-
quiratur.

Advertendum autem est, aliquando reservari aliquod peccatum externum, quando est consummatum: & tunc non est dubium, quin non sufficiat quæcumque actio externa, nisi habeat ultimam consummationem: ut reservato homicidio, vel fornicatione, non sufficit percussio ex animo occidendi, nec tentare fornicationem, & sic de cæteris. Aliquando verò reservatur peccatum circa castitatem, quoties in actum externum prodit: tunc autem requiritur etiam, quod ipsa actio externa secundum se habeat gravitatem: nam si aliquis ex intentione mortali, & gravi contra castitatem dicat alteri aliquod verbum turpe ex se leve, vel exerceat aliquam aliam actionem externam ex se levem; licet hæc actio denominetur mortalis ab intentione graviter mala, à qua procedit; non erit reservata: quia sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando non procedit in actum externum, habentem ex se gravem malitiam, & indecentiam. Ut si reservantur peccata mortalia contra iustitiam, aut contra charitatem, quoties in actum externum produnt, non esset reservatum peccatum, quando aliquis ex intentione mala, & gravissimo odio leviter percussit, aut lædit proximum in corpore, fama, vel fortunis. Quam doctrinam immerito censuravit Pater Luyhus Turrianus in selectis disputationibus parte secunda, disput. 31. dubio 71. ut improbabilem, & non tutam: quia illa est doctrina gravissimorum Doctorum, quam amplecti videntur Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 6. Granado 2. 2. contr. 1. tract. 15. disp. 13. n. 14. Eamque satis insinuat. P. Suarez tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 12. ubi dicit, in casu reservato peccati contra votum Religiosum castitatis opere consummati, per illa verba non intelligi omnia peccata, quæ non sistant in consensu interno: quia in eo sensu includerentur omnia peccata externa habentia malitiam mortalem ex ipsamet materia, & actione externa, ut sunt tactus impudici, & similes. Addit verò statim *Dixi autem, ex ipsamet malitia, & actione exteriori, quia si materia exterior revera sit levis, quamvis ex pravitatem intentionis fiat actio exterior peccatum mortale, non erit reservatum ex vi horum verborum: quia revera dici non potest opere consummatum.*

Suarez.

16.
Peccata dubia.

Quartò dubitari potest de peccato mortali dubio, an possit reservari. Et quidem, loquendo de possibili, certum videtur posse Superiorem id facere: quia, cum ad ea peccata requiratur etiam iurisdic-tio; potest illam Superior negare: quo casu inferior, defectu potestatis, invalidè absolvet. Difficultas esse potest, an quando de facto simpliciter, & absolute reservatur aliquod peccatum, possit absolvi ab inferiori pœnitens, qui dubitat, an in illum casum incidit. Distinguendum autem rursus est de dubio proprio, seu negativo, & de dubio improprio, seu positivo, quando utrimque sunt rationes probabiles. Nam in hoc secundo casu, sicut potest Confessorius amplecti opinionem probabilem circa iurisdictionem; sic poterit amplecti iudicium probabile circa existentiam peccati reservati, & indicare practicè, quod peccatum non fuit reservatum.

17.

Quando dubium est negativum, & proprium; multi dicunt esse reservatum, nec posse inferio-

rem absolvere. Ita tenent Armilla verbo, *Casus, numero 13. Frias tractatu de modo audiendi confessorum, parte secunda, capite octavo, cas. 2. & dubitat Corduba in regul. Dni Francisci; cap. 7. q. 4. pro-dubio præsumptio stet in foro externo pro veritate delicti admitti, debet haberi pro reservato: quia stante hac præsumptione, possessio est pro certitudine delicti, & illi præsumptioni standum est in utroque foro, dum non probatur contrarium. Verbi gratia, si dubium sit, an, quando protulit hæresim externam, eam etiam interius credideris, vel, an protuleris animo eam asserendi: quod totum requiritur, ut sit de facto peccatum reservatum: censetur reservata, quia præsumptio est contra te, cum verba sint signa conceptuum, & nemo præsumatur dicere, nisi id, quod interius sentit, & animo asserendi, atque ideo indicaretur ille homo hæreticus in foro externo; ergo etiam in foro interno. Ita docet Thomas Sanchez libro primo in Decalog. cap. 10. num. 74. quem sequitur Alphonsus de Leone de potestate Confessoris parte 1. recoll. 15. num. 25.*

Alij tamen absolute, & absque distinctione dicunt in dubio non censeri peccatum reservatum. Ita Suarez tom. 5. de censuris, disput. 20. sect. 6. numero 5. & tom. 2. de religione, lib. 4. cap. 5. n. 15. Henriquez libr. 6. de Pœnitentia, cap. 26. n. 7. Fillucius tom. 2. tractat. 2. cap. 4. num. 172. Gaspar Hurtado de Sacramento pœnitentia, difficultate 11. dubio 6. verbo, *Casus reservati, num. 5. Ochagavia, Homobonus, Laurentius Portel, & Thomas Merolla*, quos refert Diana tom. 3. tractat. 3. de conscientia dubia, resolutione 4. Et quidem Pater Thomas Sanchez videtur vel discessisse à sententia illa, vel certe non processisse consequenter: nam lib. 4. in Decalog. c. 44. n. 3. & c. 40. n. 26. tandem concludit, licet præsumptio stet pro voto castitatis emisso, quia verba prolata fuerunt talia, in dubio tamen de intentione, licet votum obliget propter illam præsumptionem; non tamen esse reservatum: quia reservatio est odiosa, & restringi debet ad casus certos, non ad dubios: atque ideo reservatio voto castitatis intelligi debet votum certum, quod solum est votum castitatis simpliciter & absolute. Non video autem, quomodo possit hoc coherere cum superiori doctrina: tam odiosa enim est reservatio absolutionis, quam reservatio voti, & fortasse magis. Si ergo reservatio voti intelligitur de voto certo, non de dubio, & hoc licet adhuc votum dubium obliget propter præsumptionem, quæ fiat pro illius valore, idem dici debet de reservatione peccati, ut reservata hæresi, v. g. intelligatur de peccato certo hæretico, non de dubio, licet præsumptio stet pro veritate delicti. Quare hæc sententia verior mihi videtur absque ulla distinctione: quod tamen non procedit, quando in iure extenditur pœna ad casum dubium, ut irregularitas ad homicidium dubium.

Nec obstat argumentum illud desumptum à foro externo, in quo reputaretur, & puniretur, ut hæreticus, propter præsumptionem fundatam in verbis: est enim clara differentia: nam in foro externo verba externa probant hæresim internam, & hæc probatio non infirmatur sufficienter, cum nihil asseratur, quod in foro externo probet contrarium: atque ideo reputaretur hæreticus simpliciter, & absolute. At verò in foro interno contra præsumptionem fundatam verbis asseritur aliquid eius vim infirmans, nempe, conscientia, & testimonium pœnitentis dicentis, se dubitare de consensu interno: quod quidem, licet in foro externo non

credetur; creditur tamen in foro conscientia, in quo statari debet dicto penitentis: quare creditur, quod verè dubitet de consensu ad hæresim requisito.

10. Petes si propter dubium illud inferior absoluit ab hæresi, v. g. vel alio peccato reservato, & postea penitens re melius examinata, deponat dubium, & recordetur certè peccati commissi, quod erat reservatum, an censetur iam legitime absolutus; an verò debeat recurrere ad Superiorem pro absolutione. Videtur dicendum, ablata esse iam reservationem, si iuxta id, quod diximus *suprà disp. 16. sect. 2.* probabile esset, quod qui confessus est peccatum dubium, licet postea recordetur fuisse certum, non teneatur illud iterum, vt certum, confiteri: quia iam fuit ab illo directè absolutus sub conditione, si fuerat commissum: similiter enim in casu præsentis remanet directè absolutus: quia ille, qui in dubio absoluit ab hæresi peccato, ad hoc maximè absoluit, vt si verè fuit peccatum, remittatur; ergo, si postea constat fuisse verè peccatum, constat etià fuisse absolutum directè: ergo nō remanet obligatio illud iterum Superiorem confitendi.

11. Aliudè tamen obstat posset, quod, licet id in peccatis non habentibus censuram posset dici, non videtur tamen habere locum in iis, quæ reservantur ratione censuræ reservatæ, qualis est hæresis: nam, si reuera commissum fuit tale peccatum, quamvis penitens sit postea dubius incurrit tamen re ipsa excommunicationem, & quidem excommunicatione reservatam: non est enim alia excommunicatione pro tali peccato; vel si sit alia, loqui possumus de peccato non habente nisi vnicam excommunicationem reservatam: ab hac autem excommunicatione non potuit absolvi inferior: ergo sēper remanet obligatio recurrendi ad Superiorem pro absolutione illius excommunicationis reservatæ, quando constat postea certè fuisse incursum.

12. Adhuc tamen existimo absolutè satis probabile, non esse recurendum ad Superiorem postea pro absolutione peccati, aut excommunicationis. Ad quod est optima doctrina eiusdem Sanchez *dicto cap. 44. n. 10.* ubi proponit casum similem de illo, qui dubius de voto castitatis emissio, petiit dispensationem ab Episcopo, vel ab alio potente dispensare in votis nō reservatis; quia ratione dubij dispensavit, eo quod votum castitatis dubium non sit reservatum, etiam eo casu, quo propter præsumptionem obliget votū: postea verò comperta veritate, & certitudine voti querit Sanchez, an debeat recurrere ad Papam pro eius dispensatione: & respondet negativè: quia recta Ecclesiæ gubernatio hoc exigit: & quia cum ratione dubij tunc votum non esset reservatum, potuit tunc in illo inferior dispensare, qui legitime usus est potestate, quam habebat dispensandi in votis dubiis. Quod quidem mihi verissimum videtur: quia alioquin dispensatio fuisset vana: non enim dispensatur sub conditione, si non fuit votum; sed potius sub conditione, si fuit verè votum: nam, si non fuit votum, non est dispensabile: ergo, si Episcopus potest tunc dispensare, potest tollere obligationem casu, quo fuerit.

23. Ex hoc exemplo arguere possumus ad casum nostrum: quia, sicut votum in dubio non est reservatum; sic nec peccatum, vel excommunicatio illa, vt supponimus ex citatis Auctoribus: ergo, sicut in dubio voti Episcopus, v. g. dispensat, & dispensatio manet valida licet postea constet de voti certitudine; sic absolvens ab hæresi dubia, validè absoluit, & absolutio valebit, licet postea constet de certitudine censuræ incurse: non enim fuit data sub conditione de futuro scilicet, si postea non constaret de veritate: quia non est in usu Ecclesiæ talis modus absoluendi ab excommunicatione: ergo, si in dubio tollitur refer-

uatio, & datur potestas absoluendi à censura; absolutio valida est, quidquid postea consequatur: si autem semel valida fuit, non potest postea excommunicatio redire sine nova culpa: non enim data fuit absolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste: ergo manet penitens absolutus ab excommunicatione. Porro validam fuisse ab initio absolutionem durante dubio, negari non potest: quia alioquin ille sic absolutus non esset capax suffragiorum, aut beneficiorum, imò nec licitè Sacramentorum, nisi per accidens propter ignorantiam: quæ omnia absurda sunt. Denique, si semel ablata est censura, eo ipso cessavit reservatio peccati, quod reservatum erat ratione censuræ; nec potest redire reservatio, non redeunte ipsa censura.

24. Hinc constat iam responsio ad rationem dubitandi *suprà* positam: dicimus enim Sacerdotem inferiorem absolvi quidem ab excommunicatione, quam hæreticus, v. g. incurrebat, & quæ reservata erat secundum se; sed cessavit reservatio propter dubium adveniēns, in quo dubio suspenditur reservatio: ita tamen, vt si durante illo dubio, non absolviatur penitens, postea cessante dubio redeat reservatio, & iam non possit absolvi ab inferiore: nam reservatio non est sicut excommunicatio, quæ non redit sine nova culpa sed est ablatio potestatis, quæ potestas dari potest pro aliquo tempore, vel circumstantia, & auferri postea, vt fit tempore Iubilei, quo cessat reservatio, & transacto illo tempore redit pro iis, qui noluerunt lucrari Iubileum. Sic item auferitur, quādiu durat dubium, atque idè tunc censura, & peccatum possunt auferri ab inferiore: cessante autem dubio, redit reservatio, si non fuit data absolutio tempore præcedenti.

25. Quinto queri solet, an de facto reserventur peccata sola, quibus est annexa excommunicatio. Dubium autem esse potest solum de iis, quæ Pontifex sibi reservat: nam de aliis Prælati inferioribus non est dubium, cum Episcopi, & Prælati regulares plura peccata sine censura soleant reservare. De Summo Pontifice communiter dici solet, non reservare de facto peccatum, nisi simul cum excommunicatione: hoc tamen non ita esse vniuersaliter verum, vt aliquando non reservaverit sibi peccata absque excommunicatione constat ex Bulla Sixti V. contra malè promotos, quam refert Sanchez *in præsentis disput. 29. sect. 2. num. 5.* in qua peccatum illud absque aliqua excommunicatione sibi reservat.

26. Dubium est, an in iis casibus pontificiis reservatio cadat immediatè supra solam censuram, & ratione illius reservetur peccatum consequenter, quatenus non potest aliquis à peccato absolvi, manente excommunicatione: quem modum dicendi indicare videntur Durandus, & Caietanus apud Suarez *ibi num. 7.* Ipse tamen Suarez *num. 8.* & Vasquez *q. 91. art. 3. dub. 1. num. 15.* cum aliis merito docent, reservationem cadere immediatè super vtrumque; quod nos etiam diximus *disput. 14. de Eucharistia. sect. 5.* quia alioquin in casu necessitatis ad communicandum, vel celebrandum, posset, & deberet aliquis confiteri inferiori peccatum illud; & licet ab excommunicatione non posset absolvi; absolueretur tamen directè ab illo peccato, quod secundum se non esset reservatum, atque idè pro absolutione peccati non deberet amplius recurrere ad Superiorem, sed solum pro absolutione à censura.

27. Vnde obiter adverte id, quod in eodem loco diximus: quando reservatur peccatum externum, non solum reservari actum externum; sed etiam ipsum actum internum, prout distinguitur ab externo: atque idè eum, qui non habet copiam Superioris,

à quo absoluitur à peccato reservato, licet in casu necessitatis ad communicandum extra mortis articulum debeat alia peccata non reservata cōfiteri inferiori Confessario, qui ab illis directè absoluit, non tamen debere cōfiteri illi actum internum illius peccati reservati: quia, licet voluntas occidendi, v. g. Clericum, non sit reservata secundum se; quando tamen coniungitur cum effectu, & subsequitur actus externus, totum est reservatum, quoad externum, & quoad internum; & neutrum potest directè absolui à Confessario inferiori.

28. *An reservari possit peccatum, etiam quoad absolutionem indirectam.*

Ultimò circa hæc queri potest, an Superior possit ita reservare peccatum aliquod, ut non solum non possit ab inferiori tolli directè, sed neque etiam indirectè, absolviendo directè ab aliis peccatis. Distinguerendum est: nam, si sermo sit de summo Pontifice, negari non debet in eo talis potestas: cum enim ab ipso procedat tota iurisdicção in alios, ipso illam suspensente totaliter in aliquo casu, non possit inferior validè absolvere ab ullo peccato. Loquendo autem de aliis Prælati inferioribus, ipsi non possunt id facere: quia ad minus inferior retinet facultatem absolvendi à venialibus, à quibus, si in casu necessitatis extra mortis articulum directè absolveret, consequenter absolveret indirectè pœnitentem dispositum ab omnibus aliis: non potest enim Prælati inferior auferre iurisdiccionem ad venialia, cum hanc non ab ipso, sed à Summo Pontifice Sacerdotes omnes accipiant.

29.

An verò possit, saltem Prælati inferior, auferre Confessario facultatem absolvendi directè ab omni alio mortali eum, qui haberet tale peccatum reservatum; rursus distinguendum est: nam respectu habentis solum iurisdiccionem ab ipso delegatam, valida esset proculdubio talis reservatio: respectu verò habentium iurisdiccionem ordinariam, quales sunt Parochi, & alij similes; pender ab illa questione, an nimia, & excessiva casuum reservatio valida sit, de qua nunc dicendum erit.

SECTIO III.

An possit Episcopus pro libito reservare casus absque legitima causa.

30.

Suppono primò, Summum Pontificem validè reservare posse omnes casus, licet illicitè id faceret, quando nimia reservatio esset potius in destructionem, quàm in ædificationem Ecclesiæ: reservatio tamen valeret, quia iurisdicção omnium inferiorum dependet, ut suppono à Summo Pontifice: quare, licet ipse peccaret, non relinquendo ordinem debitum, & potestatem necessariam in inferioribus; validè tamen id faceret. Videatur Suarez in præfati, disp. 29. sect. 4.

Suppono secundo, Episcopum non posse licetè reservare casus, ita ut reservatio esset magis in damnum, quàm in bonum subditorum, quorum saluti consulere debet non solum ex charitate, sed ex obligatione etiam sui officij, atque adeò ex iustitia: esset autem in damnum subditorum, quando propter nimiam, & frequentem reservationem quamplures ob absolutionis difficultatem diu iacerent in statu peccati; & Sacramentorum remediis non uterentur. Difficultas est, an eo casu reservatio non solum esset illicita, sed etiam invalida.

31.

Prima sententia affirmat fore invalidam. Hanc tenet Soto, & Richardus, quos refert, & sequitur Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 4. & alij quos refert, & sequitur etiam Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 3. littera P. Nam in Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. dicitur, Episcopos reservare posse non in destructionem,

sed in ædificationem. Secunda sententia dicit, peccare quidem Episcopum, reservationem tamen fore validam. Hanc tenet Sylvester, & Henricus, quos refert & sequitur Suarez d. d. a. sect. 4. & alij, quos refert Henriquez dicto num. 3.

In hoc puncto controuersia in ordine ad proximum potest deservire: nam, licet cum prima sententia dicas, reservationem esse invalidam; in praxi tamen non potest moraliter occurrere casus, in quo de reservatione hic, & nunc facta iudicari possit esse invalidam. Si enim compatemus peccata, & casus, quorum absolutionem sibi reservant Summi Pontifices, siue in corpore iuris, siue in Conciliis, siue in Bullis particularibus, absque proportionem excedunt numerum peccatorum, quæ Episcopi sibi nunquam reservant, vel per Confessarium. Si ergo illa non æstimator nimia reservatio respectu Summi Pontificis, non apparet, quomodo possit prædictè iudicari excessiva reservatio aliquorum peccatorum, quæ Episcopus sibi reservet.

Fateor tamen, excessum reservationis non tam ex multitudine casuum reservatorum, quàm ex eorum qualitate pensandum esse. Unde ut reservatio Episcopi censetur nimia, non requiritur quòd plures species peccatorum reservet, quàm Papa: sed attendendum est ad eorum qualitatem. Nam casus Summo Pontifici reservati, committunt loquendo, sunt rari contingentes, & vix in mille pœnitentibus inuenies unum, qui in eis odi peccata incidit. Unde, si Episcopus reservaret duo, vel tria genera peccatorum, v. g. actus & verba lascivia, omissionem Missæ in die festo, forum rei grauis; multò grauior esset hæc reservatio, quàm tota reservatio pontificia: quia propter maiorem frequentiam horum peccatorum, multò difficilius redderetur subditis Sacramentum Pœnitentiæ. Sed neque ex reservatione alicuius peccati frequentis possit statim iudicari excessiva reservatio Episcopi, cum videamus reservatam Pontifici quamlibet perculsionem, vel manum violentam in Religiosum, aut Clericum quemlibet iniectionem, quod peccatum frequentissimum est. Quare in praxi vix potest moraliter occurrere casus, quo iudicari possit invalida reservatio Episcopi propter casuum multitudinem, aut frequentiam.

Aduertendum etiam est, Auctores primæ sententiæ non loqui de reservatione Episcopi in ordine ad Confessarios, qui solum ex mera eius delegatione iurisdiccionem habent. Nam in sicut potest nullam dare iurisdiccionem, sic potest eam pro libito limitare, vel omnino auferre. Sed loquuntur in ordine ad Parochos, qui licet beneficium ab Episcopo accipiant, non tamen possunt pro libito Episcopi sua potestate, & iurisdicçãoe privari: quia facta diuisione parochiarum, non potest Episcopus sine Auctoritate Summi Pontificis Parochos amouere, & omnem eorum iurisdiccionem ad se aduocare. Unde eodem modo dicendum videtur in ordine ad Regulares, quos si Episcopus approbet, iam ij non dependent ab Episcopo, quoad iurisdiccionem, quam per sua privilegia accipiunt à Summo Pontifice: quare non magis potest Episcopus eam per nimiam reservationem casuum limitare, quàm iurisdiccionem Parochorum, etiam ubi ex decretis Clementis VIII. Regulares non possunt absoluerè à casibus Episcopo reservatis.

Vnde